





~~Ed. 67~~

nicht versilmbaar

M) Gymnasium, Joh. Jas.

nebst 21-46)

Ed. 67  
nicht weiter versilmbaar  
nicht PK

(30) = MF

Pfatz. Wappen 215)



DISPUTATIO

DE DICTO D. PAVLI AD ROM.

XII. CAP. HABENTES DIVERSA DONA,  
pro gratia quæ nobis data est: Siue prophetiam  
(prophetemus) pro proportio-  
ne fidei.

Q V A M,

*Diuina annuente gratia,*

P R A E S I D E

REVERENDO

ET CLARISSIMO VIRO, DO-  
MINO IACOBO ANDRAEAE, SACROSAN-  
ctæ Theologiæ Doctore & Professore celeberrimo,  
Ecclesiæ Tubingensis Præposito, & Acade-  
miæ Cancellario dignissimo, Præceptore suo  
perpetua obseruantia colendo; 26. Nouemb.  
hora locoq; consuetis, exercitationis gra-  
tia, pro ingenij sui viribus defen-  
dere conabitur

M. ENGELBERTVS GOEBELIVS,  
Hanauus.

Ed 67

TUBINGAE, Apud Georgium Grup-  
penbachium. Anno 1586.



Jakob Andreae [1528 - 1590]

DISPUTATIO

DE DICTO D. PAULI AD ROM.

XII. CAP. HABENTES DIVERSA DONA,

pro gratia que nobis datur colligitur  
(proprietatem) pro propositis  
ne filii.

1590

Divina divinitus gratia

FRASIDE

REVERENDO

ET CLARISSIMO VIRO DO.

M. JACOBO ANDREA, SACROSAN-

ctae Theologiae Doctore & Rectori hujus

universitatis Tubingensis, & Academi-

ae Cantabrigiae, Praeside, &

perpetuo oratore, & Collegio

hujusmodi, & ceteris, &c.

responsum ad quaedam

interrogantia

M. ENGELBERTI GOLBERGII

Human.

Tybingae, apud Georgium Grop-

pium, Anno 1590.





# DISPV TATIO DE

DICTO D. PAVLI AD ROM.

XII. CAP. PROPHETIA SIT  
analoga fidei.

I.



XTAT IN EPISTOLA D. PAVLI AD ROM. cap. 12. similitudo suauissima & elegantissima, aliquoties ab Apostolo in alijs Epistolis suis repetita, de vnitae corporis, & varietate membrorum atq; eorundem actuum: Qua Ecclesie Christi vnitatem, & donorum varietatem in singulis membris eleganter depingit, & pijs omnibus diligenter inculcat: Quemadmodum in vno corpore (inquit) membra multa habemus, membra verò omnia non eandem habent actionem: sic multi vnum corpus sumus in Christo, singulatim autem alij aliorum membra.

Rom. 12.  
2. Cor. 12.  
Ephes. 4.

II.

Vna enim est Ecclesia, sponsa Christi, cuius membra partim in caelis cum Christo triumphant, partim adhuc in terris militant.

III.

Cuius in terris nota sunt, syncerum Dei verbum praedicatum, & Sacramentorum legitimus & incorruptus vsus.

IIII.

Etsi enim vsitatum iam inde à primis parentibus nostris in terris fuit, vt, qui auctoritate valent, etiamsi vtramq; notam vel apertè amittant, aut miserè corrumpant, Ecclesie verae titulo tamen glorientur, ac caeteris non solum meliores videri velint, sed etiam vera Christi membra horribiliter persequantur: Eum tamen coetum hominum duntaxat Christus pro sua Ecclesia agnoscit, qui vocem eius audiunt, & sequuntur: Sicut scriptum est: Oues meae vocem meam audiunt, & sequuntur.

Ioan. 10.

V.

Neque obstat, quòd in hoc coetu non omnes verè pijsint, & syncerè credentes.

1. Cor. 11.

VI.

Sicut enim in corpore humano etiam prauis humores inueniuntur: ita etiam in vera Ecclesia super terram mixti sunt bonis mali.

A 2

VII. Sin-



2 Disputatio de Dicto D. Pauli ad Rom. 12.

VII.

Ephes. 4. Singulis autem membris huius spiritualis corporis peculiaria Spiritus sancti dona CHRISTVS ( qui in altum ascendit, & dona dat hominibus ) distribuit : quæ non modò ad politicam, sed etiam ad Ecclesiasticam hierarchiam necessaria sunt. Vnicuiq<sup>3</sup> datur ministratio Spiritus ad id quod expedit, inquit Paulus : Nam huic quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ: alij verò sermo scientiæ: alij verò fides: alij verò dona sanationum: alij verò efficaciarum potentiarum: alij verò Prophetia: alij verò discretio Spirituum: alij genera linguarum: alij verò interpretatio linguarum. Sed omnia hæc efficit vnus ille & idem Spiritus, diuidens peculiariter vnicuiq<sup>3</sup> sicut vult.

1. Cor. 12.

VIII.

Etsi verò dona Dei omnia sunt excellentissima, quæ à Spiritu Domini proficiscuntur sancto: ipse tamen Apostolus Prophetiam maximè commendat, cum inquit: Aemulemini spiritualia, magis tamen vt prophetetis.

1. Cor. 14.

IX.

Ibidem.

Nam qui lingua loquitur, non hominibus loquitur, (scribit idem Paulus) sed Deo. Nemo enim audit, Spiritus verò loquitur mysteria. Caterum qui prophetat, hominibus loquitur ad edificationem, & exhortationem, & consolationem. Qui loquitur lingua, seipsum edificat, qui prophetat, congregationem edificat.

X.

Cum igitur plurimum in prophetiæ dono positum sit: multum sanè refert, vt vsus eius in Ecclesia ritè constituatur, neq<sup>3</sup> indoctis, imperitis & impijs ac dissolutis hominibus munus docendi in Ecclesia commendetur, ne Ecclesia edificatione necessaria, consolatione, & salutari exhortatione spoliatur.

XI.

Est autem prophetia duplex. Altera quidem, qua ex reuelatione Spiritus sancti futura annunciantur. Quales fuerunt Prophetæ omnes, quos vocant Maiores & Minores, cum alijs, quos singulis temporibus populo suo Dominus misit: de quibus illud Christi: Lex & Prophetæ vsq<sup>3</sup> ad Ioannem.

XII.

Fuerunt etiam Prophetæ post ascensum Christi in cælos, quibus Deus primitiuam Ecclesiam tempore Apostolorum exornauit.

XIII. Altera



Prophetia sit Analogia fidei.

3

XIII.

Altera verò, qua vera & germana sententia Scriptorum Prophetico-  
rum & Apostolicorum in Ecclesia proponitur & enarratur: siue scriptis  
fiat, siue sermone viuo.

Ephes. 4.  
Act. 8.  
Act. 21.

XIIII.

Ingens autem inter hos & illos Prophetas discrimen est: quòd illorum  
scripta regula & norma indubitata sint fidei nostræ iustificantis & sal-  
uantis, in quibus nullus error deprehenditur: secundum illud Pauli Apo-  
stoli: Si aut NOS, aut Angelus è cœlo aliud Euangelium prædicauerit,  
præter id, quod prædicauimus vobis, Anathema sit.

XV.

Ex quo constat, quanta certitudo sit doctrina Religionis Christianæ, ab  
Apostolis Christi tradita, cum ne quidem in Apostolorum positum sit po-  
testate, ALIQUID in ea mutare.

XVI.

De Prophetis autem secundi ordinis, qui Scripta Prophetarum & Apo-  
stolorum interpretantur, cum errare & falli possint, scriptum est: Spiri-  
tus Prophetarum Prophetis subiecti sunt.

1. Cor. 14.

XVII.

Nemo igitur in Ecclesia sibi sumat, & tribuat, quòd in Scriptura in-  
terpretatione errare non possit, sed iudicio aliorum Prophetarum inter-  
pretationem suam subiiciat, secundum illud Apostoli: Prophetæ verò duo  
aut tres loquantur, & ceteri dijudicent. Si verò alij a sidenti reuelatum  
fuerit, prior taceat.

1. Cor. 14.

XVIII.

Qua humilitate & subiectione, certitudini doctrinae Christianæ & fi-  
dei simplicium Christianorum, seu laicorum nihil detrahatur.

XIX.

Disceptatio enim est de vno duntaxat loco scripturae, qui Analogiam  
fidei euertere non potest.

XX.

Hæc sancta humilitas quando inter Prophetas & interpretes sacra-  
rum literarum dominatur, Ecclesiæ florent, & certamina perniciofa, per  
gratiam Dei, quod in ipsis Doctoribus est, facile cauentur. Cui omnes sa-  
crarum literarum interpretes maximè studere debent, cum eodem Apo-  
stolo teste: DOMINVS non confusionis Deus sit, sed pacis.

Ibidem.

A 3

XXI. Ne



4 Disputatio de Diſto D. Pauli ad Rom. 12.

XXI.

*Ne autem à veritate & mente Spiritus ſancti aberret interpretatio: Regulam perpetuam, eamq; inſallibilem idem Apoſtolus omnibus Prophe- tis, hoc eſt, ſacrarum literarum interpretibus propoſuit, dum monet: Ut omnis prophetia ſit analogæ fidei.*

Rom. 12.

XXII.

*Fidei autem nomine Apoſtolus ſummam doctrinæ de Chriſto Salvatore Mundi vnico, intelligit, quæ capita religionis noſtræ indubitata, & omni- bus pijs nota comprehenduntur, quæ in textu Catecheſeos Chriſtiane Ca- techumenis proponebantur. Cuiusmodi ſunt: Articuli Symboli Apoſtolici: Decem Præcepta: Oratio Dominica: Baptiſmi, Cœnæ Domini, & Abſolu- tionis Chriſtiane inſtitutio.*

XXIII.

*Cum his capitibus, quando interpretatio Scripturæ pugnat, quocunq; authore allata ſit, in Eccleſia Dei minimè admittenda eſt.*

XXIII.

*Hinc illud Auguſtini celebre & in Eccleſia Dei benè notum testimoniū, quod ad D. Hieronymū ſcripſit, à quo in interpretatione verborū D. Pauli ad Galatas diſſenſit: Ego, inquit, fateor charitati tue, SOLIS EIS Scri- pturarum libris, qui iam CANONICI appellantur, didici hunc timo- rem honoremq; deferre, vt NVLLVM eorū authorem ſcribendo aliquid erraſſe, firmiſſimè credam. Ac ſi aliquid in eis offendo literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quàm vel mendosum eſſe Codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe, quod dictum eſt, vel me minimè intel- lixiſſe non ambigo. Alios autem ITA lego, vt quantalibet ſanctitate doctri- naq; præpolleant, NON IDEO VERVM PVTEM, QVIA IPSI ITA SENSERVNT, ſed quia mihi vel per illos authores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt. Nec te, mi frater, ſentire aliquid aliter exiſtimo, prorsus, inquam, non te arbitror ſic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum vel Apoſtolorum, de quorum ſcriptis, quòd omni errore careant, dubitare nefarium eſt. Ha- ctenus Auguſtini verba, AVREIS LITERIS NOTANDA.*

Aug. Tom. 2. Episto-  
la 19.

XXV.

*Non enim religionis capita, eorumq; ſumma, in quibus vniuerſa ſalutis noſtræ æternæ ratio conſiſtit, ita comparata eſt, vt eam Doctores tantum Eccleſiæ teneant: ſed indoctis pariter & doctis nota ſunt: quorum debito- rem ſe eſſe agnoſcit Apoſtolus.*

Rom. 1.

XXVI. Hoc



XXVI.

Hoc autem doctus Propheta ab indocto homine Christiano pio, seu laico, ut vocant, differt: quod hic capita Religionis Christianae simpliciter tenet, & credit, ignorans, quibus in locis à Prophetis & Apostolis tradantur: Ille verò quibus verbis & quo loco in scriptis Prophetarum & Apostolorum tradita & confirmata sint, docere & ad oculos demonstrare potest.

XXVII.

Ad hanc Regulam & amussim veritatis doctrinae caelestis quisquis in interpretatione Scripturae sacrae respicit, & ab ea non recedit, à veritate nunquam errabit, ut maximè interdum proprium & germanum cuiusque loci sensum non assequatur.

XXVIII.

Dupliciter namque in enarratione Scripturae sacrae erratur. Aut enim verba Scripturae ad doctrinam manifestè falsam confirmandam detorquentur, quae cum Analogia fidei pugnat: Aut minùs quidem commodè & propriè, sed tamen ad sententiam minimè impiam accommodantur.

XXIX.

Prior interpretatio hereticorum propria est, & in Ecclesia intolerabilis. Posterior autem, etsi per se impia non sit, collatione tamen fraterna necessariò corrigenda est, ne fortè fidei nostrae fundamenta hostibus veritatis ridenda proponamus.

XXX.

Vtriusque autem exempla, certamina in Ecclesia Dei perpetua, & Scriptorum Ecclesiasticorum, cum veterum tum neotericorum relicta monumenta nobis quamplurima suppeditant. Quorum illi errores suos S. Scripturae testimonijs confirmare & palliare frustra & infeliciter conati sunt: Hi verò cum contra Haereticos pugnarent, interdum minùs propriè Scripturae dicta ad veram & piam doctrinam asserendam produxerunt. Quod cum in alijs quamplurimis cum haereticis, in primitivae Ecclesiae institutis disceptationibus, potissimùm tamen in certamine contra Arrianos videre licet.

XXXI.

Cum igitur omnis interpretatio S. Scripturae, quocumque authore profecta, censuram Analogiae & Normae fidei subire cogatur: hanc Normam & Regulam veritatis certam, indubitatam, & apertam esse necesse est.

XXXII. Fru-



6 Disputatio de Dicto D. Pauli ad Rom. 12.

XXXII.

*Frustra enim de controuersis capitibus disputatur, si de regula veritatis non prius certò constet, ad quam cuiusq; interpretatio exigenda, & accuratissimè examinanda est.*

XXXIII.

*Longè enim alia veritatis ratio in Ecclesia, quàm in foro ciuili est, vbi de rebus externis, & in his cuiusq; iure disceptatur.*

XXXIII.

*Nam in foro ciuili, vbi secundum leges humanas iudicandum est, non vnus duntaxat, sed multi Legislatores sunt, qui inter se interdum dissentire, non modò videntur, sed reipsa etiam comperiuntur.*

XXXV.

*Quarum legum fundamentum cum sit lex naturæ, omnium animis inscripta, eaq; mentibus hominum insitis notitijs leges dictat, quæ in alijs illustriores, in alijs obscuriores sunt: hinc opinionum varietates quoq; inter Legum Doctores nascuntur. Quarum moderatrix vnica æquitatis ratio traditur.*

XXXVI.

*In Ecclesia autem VNICVS Legislator, & Canonorum scriptorum autor est Spiritus sanctus: ex cuius inspiratione Propheta & Apostoli locuti sunt, & scripserunt: sicut Petrus testatur, cum inquit: Non voluntate hominis allata est olim prophetia: sed à Spiritu sancto impulsus, locuti sunt sancti Dei homines. Et Christus: Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris mei, qui in vobis est.*

XXXVII.

*Quapropter in eius quoq; interpretatione non hominis voluntas, sed Spiritus sanctus dominari, neq; vlla interpretatio alia, quàm ipsius auctoris, hoc est, solius Spiritus sancti admittenda est. Sicut idem Apostolus testatur. Illud, inquit, prius noueritis, quòd omnis prophetia Scripturæ non sit PRIVATÆ interpretationis.*

XXXVIII.

*Ex quo patet, Pontificios turpissimè errare, qui in certaminibus Ecclesiasticis de religione, & eorum dyudicatione, NON SOLAM ANALOGIAM fidei admittunt: sed ad opiniones & authoritates Patrum & Conciliorum confugiunt, quasi Spiritus sanctus suorum verborum in sacra Scriptura non sufficiens sit interpres.*

XXXIX. Quo



XXXIX.

Quo nomine olim PETRVS LOMBARDVS, quem Magistrum sententiarum appellant, omnes Scholas Theologicas occupavit, & summæ authoritatis habitus est. Qui controuersias religionis omnes, non ex solo Dei verbo, sed sententijs & opinionibus Patrum & Doctorum Ecclesie diiudicare & dirimere infeliciter conatus est.

XL.

Etsi verò etiam suus locus Patribus & Doctoribus veteribus in Ecclesia, tanquam Prophetis & interpretibus Scripturæ sacræ meritò conceditur: Secundum illud Mose: Coram cano capite surgas.

XLI.

Sunt enim quasi testes eius Doctrina, quæ ipsorum temporibus tradita est, & qui pro veritate Religionis Christianæ contra varias hæreses pugnarunt: diiudicatio tamen controuersiarum non ex multitudine vel paucitate sententiarum, quæ in scriptis Patrum extant: sed duntaxat ex verbo Dei, eiusq; apertis & sibi ex omni parte consentientibus, & minimè pugnantibus testimonijs facienda est, in quo solo conscientia hominis pijs & fidelis in summis tentationibus acquiescit.

XLII.

Et huc maximè pertinet illud vulgare & tritum, sed sapiens dictum: Sententias (Doctorum Ecclesie) non numerandas, sed simul omnes ponderandas esse, an verbo Domini consentiant.

XLIII.

Ideoq; damnata & execranda vox est Pontificiorum collocutorum in vltimo Colloquio VVormatiensi, anno 1557. edita, qua blasphemio ore & calamo proferre non erubuerunt: Scripturam sacram non esse vocem iudicis, sed materiam litis, & sicut Pontificij scribunt, literam mutam, ambiguam & obscuram. Quæ si Ecclesie authoritate destitueretur, tantum valeret, quantum Fabulæ Aesopi.

XLIII.

Contra Spiritus sanctus de scriptis Prophetis longè aliter pronunciat. Lucerna pedibus meis (inquit Psaltes) verbum tuum. Idem: Præceptum Domini LUCIDVM, ILLVMINANS OCVLOS. Et Petrus: Habemus firmiorem sermonem Propheticum, cui dum attenditis, CEV LVCERNÆ APPARENTI IN OBSCVRO LOCO, rectè facitis, donec illucescat dies, & Lucifer exoriatur in cordibus nostris.

B

Qui



8 Disputatio de Dicto D. Pauli ad Rom. 12.

Joan. 1. *Qui est Christus, LVX VERA, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, & si quid obscuritatis in Prophetis erat, suo Evangelio illustravit.*

XLV.

Cum igitur Norma & Regula veritatis sit certa, indubitata, aperta, & omnibus Christianis in Catechesi mediocriter institutis manifesta: Scripta autem Prophetica & Apostolica instar Lucernæ à Spiritu sancto prædicentur, quæ voluntatem Dei nobis aperte proponunt: Omnibus Scripturæ sacræ interpretibus accuratè in eam intendentibus facile est animadvertere, quæ interpretatio cum ipsa Analogia fidei pugnet, aut consentiat.

XLVI.

Matth. 7. *Hinc Christus non Doctoribus, sed laicis indoctis loquitur: Cauete à Pseudoprophetais.*

XLVII.

Neg, desunt alia quoque Spiritus sancti præsidia, quibus falsa interpretatio deprehendatur: si videlicet phrasis accuratè examinetur, ad quam dijudicationem donum linguarum necessariò requiritur.

XLVIII.

Cuius rei quàmplurima exempla in scriptis Pontificiorum sese offerunt. Vbi ad manifestos errores confirmandos Scripturæ sacræ dictis aperte abutuntur.

XLIX.

Sic illud Genes. 48. ad confirmandam Idololatricam inuocationem sanctorum falsò accommodatur, cum Iacob inquit: Inuocetur nomen meum super ipsos, nomina quoque patrum meorum, Abraham & Isaac: quod phrasis Hebræa tanquam Analogiæ fidei contrarium refutat: quæ habet: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias. Inuocari enim eo loco idem quod denominari significat. Esa. 3.

L.

Huic similia sunt quæ pro impuro & Sodomitico celibatu Sacerdotum, contra honorandum coniugium in suo Iure Cænonico proferunt. Sancti estote, quoniam sanctus sum ego. Item: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.

LI.

Analogia enim fidei docet, coniugium nullo modo vitæ genus impurum esse, aut cum sanctitate pugnare.

LII. Quin



Prophetia sit analogia fidei.

LII.

Quin potius coniugatos Episcopos ideo eligi præcepit Paulus, ut in hoc vita genere prius specimen sanctitatis edant, an ad Episcopatum & Ecclesie Ministerium sint admittendi, secundum illud Pauli: Qui domui suæ non præesse, hoc est, uxorem & liberos in officio continere non potest, quomodo Ecclesiam Dei gubernabit?

LIII.

Similia infinita propemodum exempla in doctrina hereticorum monstrari possunt, qui ad palliandos & propagandos errores Analogia fidei contrarios, sacra Scriptura testimonijs manifestè abusi sunt.

LIIII.

Alterum genus errorum, quos interpretes Catholici & pij in explicatione Scripturae interdum commiserunt, dicitur sensus impertinens: qui etsi cum Analogia fidei non pugnat, non tamen eius loci proprius est, cui tribuitur.

LV.

Deprehenditur autem ut plurimum, impertinens sensus Loci Scripturae propositus, cum ea, quæ præcedunt, & sequuntur, accuratè considerantur. Quoniam cuiusque loci Scriptura vnus, germanus, proprius & genuinus sensus est.

LVI.

Eius illustre exemplum in explicatione verborum Pauli ad Phil. cap. 2. de forma Dei extat, quæ in scriptis & commentarijs Patrum sese offert: cum D. Paulus de Christo scribit: *QVI CVM IN FORMA DEI ESSET*, non rapinam arbitratus est, esse æqualem Deo. Quis enim verus, genuinus, & proprius sensus horum verborum sit, queritur?

LVII.

Patres enim, Ecclesie primitiuae Doctores, contra Arrianos disputantes, ad asserendam diuinitatem Christi, hoc testimonium produxerunt, ut sensus verborum Pauli sit: *Qui ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων*, cum esset in forma Dei, id est, qui cum esset naturâ verus Deus, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo.

LVIII.

Etsi verò hæc sententia pia est, & Analogia fidei per omnia consentanea, siquidem Christus verus Deus est, quod nequaquam rapuit, quem admodum Satan & primi parentes nostri rapere & Deo æquales esse voluerunt, Ioan. 1.  
1. Ioan. 5.



sed essentiâ ab eterno Deo equalis fuit: non tamen hanc verborum Pauli & huius loci propriam sententiam esse, cum phrasis ipsa, tum subiecta materia, ut vocant, aperte docent.

## LIX.

Non enim scribit Paulus: Qui cum esset forma Dei: sed scribit: Qui cum esset IN FORMA Dei. Aliud autem esse, & significari, cum dicitur: esse IN forma Dei, & aliud cum dicitur: esse ipsam FORMAM Dei, etiam mediocriter instituti videre & intelligere possunt.

## LX.

Nam secundum Diuinitatem Christus est forma Dei, quia est verus Deus. 1. Ioan. 5. Sumus in vero, in filio eius, Iesu Christo, qui EST VERUS DEVS, & vita eterna. Secundum humanitatem autem est IN FORMA Dei, hoc est, fuit personaliter cum Deo & ipsius forma vnitus: & forma Dei huic homini ita coniuncta est, ut homo assumptus, si voluisset, formam Dei, etiam in statu humilitatis stupenda & diuina Maiestate demonstrare potuisset: sed propter serui formam susceptam noluit facere, donec opus redemptionis humani generis absolueretur.

## LXI.

Sicut enim in verbis Pauli forma serui (vbi Apostolus eodem vocabulo  $\mu\omicron\sigma\phi\upsilon\kappa$  utitur) non substantiam aut Naturam, sed conditionem seruillem significat: quam Christus externis seruilibus officijs declarauit, quem admodum Ioan. 13. manifestè demonstratur, cum Dominus existens & permanens Christus, habitu seruili indutus, discipulis pedes lauisset, inquit: Vos me vocatis Magistrum & Dominum, & benè dicitis, SVM ENIM. Et Luc. 22. Vter maior est, qui accumbit, an qui ministrat? nonne accumbens? Ego verò in medio vestrum sum, VT QVI MINISTRAT. Item, Matth. 20. Filius hominis non venit, ut sibi ministraretur, sed VT IPSE MINISTRARET.

## LXII.

Ita forma Dei hoc loco non simpliciter Naturam diuinam, sed eiusdem diuinæ Naturæ Maiestatem significat, in qua Christus se verum Deum esse declarare potuisset, & manifestare, ut ab omnibus hominibus tanquam verus Deus agnosceretur.

## LXIII.

Etsi enim diuinitatis Natura, & eiusdem Maiestas reuera vnum sunt, siquidem in Deum non cadit accidens: tamen Apostolus Paulus non simpliciter



Prophetia sit analoga fidei.

11

pliciter de essentia Diuinitatis loquitur, quæ inuisibilis est: sed de forma Diuinitatis propria, qua potuisset videri & agnosci tanquam Deus.

LXIII.

Quapropter vtrunq<sup>3</sup> habuit homo Christus, videlicet, quòd Deus EST, & quòd in forma Dei, hoc est, in Maiestate DEI EST.

LXV.

Quia verò non seruus, sed iam inde à tempore conceptionis & Natiuitatis suæ Dominus fuit, ideò Apostolus non dicit: Qui cùm in forma serui esset, sed scribit: quòd duntaxat formam serui assumpserit.

LXVI.

Etsi enim Esa. 53. Seruus esse dicitur: [Scientiâ sui iustificabit ipse iustus seruus meus multos] Id tamen ad seruilem conditionem, non ad Naturam referendum esse textus apertè docet.

LXVII.

Quam formam, hoc est, conditionem seruilem deposuit: humanam autem Naturam in æternum non deponit, quæ omnium, cœlestium & terrestrium creaturarum Domina effecta est: Sicut scriptum est: Certò sciat ergo tota domus Israel, quòd DOMINVM & Christum FECERIT Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis. Act. 2.

LXVIII.

Referendum autem hoc esse ad HUMANITATEM Christi, non modo verba Petri manifestè docent, sed veteris quoq<sup>3</sup> Ecclesiæ purioris Doctores apertè testantur.

LXIX.

Non enim secundum Diuinitatem Christus FACTVS est Dominus, qui ab æterno Dominus est cum Deo Patre & Spiritu sancto: sed secundum humanitatem quoq<sup>3</sup> Dominus post depositam formam & conditionem serui effectus est. Corpus est, inquit Athanasius, cui dicit Dominus: Sede à dextris meis. Et Gregorius Nyssenus: Humanam naturam exaltatam esse dicit Apostolus, exaltata verò, quia Dominus & Christus factus est homo. Theodor. Dial. 2. Super Act. 2.

LXX.

Cùm igitur Christus, quoad humanitatem suam, non ab æterno Dominus fuerit, sed in tempore FACTVS SIT Dominus omnium creaturarum, cœlestium, terrestrium, & infernalium, quod sine communicatione diuinæ Maiestatis, Deitatis propriæ, fieri non potest: (hæc enim Maieestas Diuinitatis est propria, simul & semel omnibus creaturis præesse, easq<sup>3</sup>

B 3

potenter



12 Disputatio de Dicto D. Pauli ad Rom. 12.

potenter gubernare, & in manu & potestate sua habere) de Christo homine, hoc est, ratione & respectu humanitatis de ipso intelligendum, quod Paulus ait: eum IN FORMA DEI ESSE, aperte demonstratum est.

LXXI.

Qua phrasi Maiestatis Diuinitatis communicatio intelligitur, qua per vnionem duarum naturarum personalem in Christo facta est. Cuius, ratione ordinis, consequens est, cum tempore simul sint.

LXXII.

Hac ratione Christus, in verbis Apostoli propositis, non tanquam Deus, sed tanquam homo, seu ratione humanitatis, humilitatis exemplum ab Apostolo omnibus hominibus proponitur, cum inquit: Is affectus sit in vobis, qui fuit in Christo Iesu.

LXXIII.

Etenim hic vnus homo forma Dei particeps factus est, qua gloriari, & quam vniuerso humano generi, dum in terris ei conuersaretur, demonstrare, & se verum Deum esse videndum præbere potuisset. Sed humilitatem summam declarare voluit, nobisq; imitandam proposuit, secundum illud Christi: Discite à me, quoniam mansuetus sum, & HVMILIS CORDE.

Matth. 11.

LXXIII.

Idem hic Paulus aperte docet, cum inquit: Semetipsum inaniuit, ἐκένωσεν, hoc est, euacuauit, quod Diuinitati nullo modo conuenit, qua seipsam sua Maiestate euacuare non potest, formam serui assumptam, in similitudine hominum constitutus, & figuram repertus vt homo, humilem præbuit semetipsum, factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Hoc est, nihil formæ Dei apparuit in illo, nihil supra conditionem hominis, quoad externam faciem & formam.

LXXV.

Tantum verò abest, vt hæc vera propria & germana huius loci interpretatio auctoritatem & argumentationem Patrum contra Arrianos, aut Diuinitatem Christi labefactet, aut conuellat, quin potius eam manifestè confirmet, & Christi Diuinitatem solidissimè asserat.

LXXVI.

Non enim potuisset Christus homo esse in forma Dei, nisi verus Deus esset, à quo forma eius separari non potest.

LXXVII. Hic



LXXVII.

Hic verò non de forma per se & in se considerata queritur. An Deus se humiliaverit, humanitatem assumendo, quod diligenter & accuratè considerandum est: Sed exemplum humilitatis proponitur, ut homo, in unitatem personæ filij Dei assumptus, qui propter hanc exaltationem non superbiuit, sed in ea, & cum ea, omnibus seruiuit, & formam serui gestauit, qua Dei forma tecta fuit.

NB.

LXXVIII.

Quo exemplo manifestè ostensum est, quid sensus impertinens, quantumvis cum Analogia fidei non pugnant, à proprio & genuino sensu differat.

LXXIX.

Cùm igitur fides nostra consistere non possit, sed in tentationibus succumbat necesse est, nisi expresso Dei verbo nitatur: omnibus sacrarum literarum interpretibus, quos Apostolus Prophetas appellat, in hanc potissimum curam sedulo & diligenter incumbendum est, ut cuiusq; loci verus, germanus, & proprius sensus auditoribus tradatur, qui doctrinæ, consolationi, & exhortationi efficacissimè seruit.

LXXX.

Cuius summa cùm in Catechesi comprehensa sit, eius veritate confisi Laici, implicitam totius Scripturæ sacræ & salutarem atq; ad salutem sufficientissimam cognitionem habent, qua omnes omnium Prophetarum, hoc est, Interpretum sacrarum literarum doctrinam & conciones iudicare possunt, & in aeternum saluantur.

F I N I S.



Proprietate in analogia hinc

LXXVII

Quod est non de se habet, sed a causa  
causa est non de se habet, sed a causa  
causa est non de se habet, sed a causa  
causa est non de se habet, sed a causa  
causa est non de se habet, sed a causa

LXXVIII

Quod est non de se habet, sed a causa  
causa est non de se habet, sed a causa  
causa est non de se habet, sed a causa  
causa est non de se habet, sed a causa  
causa est non de se habet, sed a causa

LXXIX

Quod est non de se habet, sed a causa  
causa est non de se habet, sed a causa  
causa est non de se habet, sed a causa  
causa est non de se habet, sed a causa  
causa est non de se habet, sed a causa

LXXX

Quod est non de se habet, sed a causa  
causa est non de se habet, sed a causa  
causa est non de se habet, sed a causa  
causa est non de se habet, sed a causa  
causa est non de se habet, sed a causa

LXXXI

ALIAS

Quod est non de se habet, sed a causa  
causa est non de se habet, sed a causa  
causa est non de se habet, sed a causa  
causa est non de se habet, sed a causa  
causa est non de se habet, sed a causa













# DISPUTATIO

DICTO D. PAULI AD ROM.

CAP. HABENTES DIVERSA DONA,  
pro gratia quæ nobis data est: Siue prophetiam  
(prophetemus) pro proportio-  
ne fidei.

Q V A M,

*Diuina annuente gratia,*

P R A E S I D E

## EVERENDO

CLARISSIMO VIRO, DO-  
CTO IACOBO ANDRAE, SACROSAN-  
ctae theologiae Doctore & Professore celeberrimo  
Ecclesiae Tubingensis Praeposito, & Acade-  
miae Cancellario dignissimo, Praeceptore suo  
et tua obseruantia colendo; 26. Nouemb.  
1586. locoq; consuetis, exercitationis gra-  
tia, pro ingenij sui viribus defen-  
dere conabitur

M. ENGELBERTVS GOEBELIVS,  
Hanauius.

*Ed 67*



TUBINGAE, Apud Georgium Grup-  
penbachium. Anno 1586.

